



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de**

**Tolosae, 1614**

A Pio III. Creati cuius oratio frequentissimo Cardinalium consessis de  
Concilii Tridentini decretis confirmandis, habita anno 1564. Romæ edita  
est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

Obiit 8. Idus Ianuarij 1568.

VITELLOTIVS VITELLIVS Tiphernas,  
Cardinalis vtriusque Iuris doctor sublimis & Antiqui-  
tatum Ecclesiasticarum peruestigator solertissimus, su-  
perioris sæculi commentariis replicatis,

Pontificum & Cardinalium historiam leui ductu  
seriatim adumbravit, quam morte præreptus  
pertexere non potuit.

Operaque Ioannis de Turrecremata emendata  
Pio 4. Pontifici maximo, præfixâ dedicatoriâ  
Epistolâ, nuncupavit. Romæ ante diem ex-  
tinctus est, anno Christi 1568. ætatis 37. iacet-  
que in Ecclesia S. Mariæ in via lata.

---

*A PIO III. CREATI*  
*cuius oratio frequentissimo Cardinalium confessis*  
*de Concilii Tridentini decretis confirman-*  
*dis, habita anno 1564. Romæ*  
*edita est.*

S. CAROLVS BORROMEVS Mediolanensis Pij  
4. ex sorore nepos Cardinalis, cuius vitam edita miracula  
mirum in modum insigniuere, Franciscum Alciatum  
postea Cardinalem Iuriconsultum celeberrimum præ-  
ceptorem habuit, scripsitque

Constitutiones & Decreta 6. Synodorum Prouin-  
cialium.

Orationes in eisdem conuocandis habitas.

Acta Ecclesiæ Mediolanensis, Federici Cardinalis  
Borromei eius nepotis iussu edita anno 1529.

Tractatum de ratione conferendi Sacramentum  
Pœnitentiæ.

De Cura pestilentia tractatum.

Concionem de S. Iubilei anno spiritualibusque  
inde fructibus percipiendis.

Instructiones Pastorum & Concionatorum.

Instructionem fabricæ & suppellectilis Ecclesiasti-  
cæ lib. 2.

Et alia quædam. Mediolani in Cathedrali ia-  
cet cum hoc Epitaphio.

*Carolus tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis, Archie-  
piscop. Mediolanensis, frequentioribus Cleri, populi, deuotique fœ-  
minæ sexus precibus se commendatum cupens, hoc loco sibi monu-  
mentum viuens elegit. HV MILITAS. Vixit annos 46. men-  
sem 1. diem unum. Præfuit Ecclesiæ Mediolanensi annos 24. mens-  
8. dies 26. Obiit 3. Nonas Nouembris 1584.*

Eum nouissimè Summus Pontifex Paulus quintus  
Apotheosi celeberrima Beatis accensuit, inter quos plu-  
res itidem Pontifices & Cardinales absolutissima sancti-  
tate inlustres, ab eo tempore quo Nomenclaturæ huius  
induxi exordium, vel absque solemnibus huiusmodi non  
semper obseruato ritu iure merito computantur, quo-  
rum perstrictam seriem (quandoquidem in eos famosæ  
huiusce Apotheoseos occurfu incidi) velut non ingra-  
tæ Lectori ascriptionis excursus appingere è re bono-  
rum meæque propensionis esse censui.

BEATVS.

Leo Papa 9. Germanus. obiit anno 1054.

Humbertus Siluæcandidæ Episcopus Cardinalis Gallus  
à Leone 9. creatus, claruit anno 1060.

Stephanus Papa 9. Gallus. obiit anno 1058.

Petrus Damiani, Rauennas, Cardinalis obiit anno 1119.

Oderisus ex comitibus Marforum Cardinalis obiit an-  
no 1105.

Anselmus Mantuanus, Cardinalis & Episcopus Lucen-  
sis, obiit anno 1087.

Gregorius Papa 7. obiit anno 1085.

Petrus Episcopus Cardinalis Albanus, Igneus cognomi-  
natus est, eo quod vt simoniacâ labem quæ Florentiâ  
planè inuaserat, Deo inuisam esse ostenderet, igne in  
medio vrbs succensum, spectante populo nudis pe-  
dibus incolumis pertransierit, obiit anno 1088.

Victor Papa 3. obiit anno 1087.

Vrbanus Papa 2. Gallus, obiit anno 1099.

Mauritius Episcopus Cardinalis Portuensis, cum anno  
1100. Apostolicæ sedis ad Hierosolimorum regem  
Legatus in templo Dominici sepulchri orationi in-  
staret, ignem suis precibus e cælo impetrauit, quo ex-  
tinctæ lampades templi multis adstantibus & itupen-  
tibus accensæ sunt.

Bernardus Vbertus Florentinus, Cardinalis, obiit an-  
no 1133.

Paschalis Papa 2. obiit anno 1118.

Gelasius Papa 2. obiit anno 1119.

Pontius comitis Margulienfis filius, Cluniacensis Abbas  
& Cardinalis Gallus obiit anno 1122.

Mathæus Rhemensis, Episcopus Cardinalis Albanus Gal-  
lus, obiit anno 1135.

Guarinus Guarinius Bononiensis Episcopus Cardinalis  
Prænestinus, Lucii Papæ 2. consanguineus, claruit

anno 1154.

Galdinus de Sala Mediolanensis Cardinalis, obiit anno  
1175.

Raymundus Nonat Hispanus, Cardinalis claruit anno  
1234.

Hugo de Sancto Charo ordinis Prædicatorum Cardi-  
nalis Gallus, obiit anno 1260.

Thesaurus Beccaria Papiensis, Cardinalis creatus ab A-  
lexandro 4. obiit anno 1260.

Urbanus Papa 4. Gallus obiit anno 1264.

Hannibaldus Hannibaldensis Romanus, ordinis Præ-  
dicatorum Cardinalis, obiit anno 1272.

Gregorius Papa x. obiit anno 1276.

Bonaventura Fidāza Balneoregiensis, ordinis minorum  
Cardinalis obiit anno 1275.

Latinus Malabranca seu Frangiapanis Romanus, or-  
dinis Prædicatorum Cardinalis obiit anno 1294.

Cælestinus Papa 5. abdicavit se Pontificatu obiitque an-  
no 1296.

Andreas ex comitibus Signiæ, ordinis minorum Car-  
dinalis, Bonifacii Papæ 8. affinis, claruit anno 1295.

Benedictus Papa xi. obiit anno 1304.

Egidius Columna Romanus, ordinis sancti Augustini  
Cardinalis obiit anno 1316.

Urbanus Papa 5. Gallus obiit anno 1370.

Bonaventura Baduarius de Peraga Patavinus ordinis S.  
Augustini Cardinalis obiit anno 1389.

Petrus de Lucemburgo Cardinalis Gallus, obiit anno  
1387. ætatis 22.

Ioannes Dominici Florentinus, ordinis Prædicatorum  
Cardinalis, obiit anno 1420.

Lucas Manzolus Florentinus, ordinis Humiliatorum

Cardinalis, obiit anno 1411.

Alexander Oliua Saxoferratensis, ordinis S. Augustini

Cardinalis, obiit anno 1463.

Ioannes Fischerus Anglus, Episcopus Roffensis & Cardinalis obiit anno 1535.

HIERONIMVS SERIPANDVS Neapolitanus, Ord. S. Aug. Cardinalis, Pomponatii Auditor, Græcæ Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ scientissimus fuit, nec deerant qui præceptoris eruditioni adæquarent, scripsit

In omnes S. Pauli, & 7. Canonicas Epistolas, commentaria.

Expositionem in Euangelia quadragesimalia.

De hominis iustificatione libros 3.

Quæstiones 67. aduersus sui temporis hæreses.

De Peccato originali.

Diuersarum materiarum prædicabilium lib 4.

Orationes & sermones plures. Obiit Tridenti anno 1563. Neapolique iacet in æde S. Iacobi de Carbonaria cum hoc Epitaphio.

*Hieronimo Seripando Cardinali Concilij Tridentini Legato, Christophorus Patavinus, Sodalitij Eremit. Magister posuit. Vixit annos 70. Menses 5. dies xi.*

*Si quis honos tumuli, quantum sol lampade lustrat,  
Terrarum, cælique, tuum est Seripande sepulchrum.*

STANISLAUS HOSIVS Polonus Cardinalis, cuius vitam Stanislaus Rescius luculenter scripsit, ingenii sui eximia monumenta reliquit, bis & trigesies ipso viuente, variis locis excusa, & ex latina in Gallicam,

Germanicam, Polonam, Scoticam, Anglicam, Armenicamque linguam translata, nempe

Confessionem Catholicæ fidei Christianæ aduersus Augustanam confessionem.

Confutationem Prolegomenon Brentii lib. 5.

De expresso Dei verbo.

De communionem sub vtraque specie.

De Sacerdotum coniugio.

De missa vulgari linguâ celebranda.

Iudicium & Censuram de adoranda Trinitate aduersus ministros Tigurinos, & Heidelbergenses.

De loco & authoritate Romani Pôtificis in Ecclesia & Conciliis.

Fabiani Quadrantini recantationes.

De oppresso Dei verbo.

De actis cum diuersis hæreticis.

Epistolas 232.

Examen siue excussionem confœderationis hæreticorum.

Alteram excussionem eiusdem confœderationis.

Orationes funebres duas in exequiis Sigismundi primi & secundi Poloniae Regum recitatas.

Hæresumque sui temporis catalogum quas valde confutauit. Romæ minimè senescente nominis famâ consenuit, ægerque Romani cæli inclementiam defugiens, cum purioris desiderio, medicorum suasu, teneretur, Capranicam concessit; vbi mortales exuias annosus deposuit. Romæ iacet in æde S. Mariæ trans-Tyberim cum hoc Epitaphio.

D. O. M. Stanislaſo Hoſio Polono S. R. E. Presb. Cardinali Varmienſi Episcopo, Maiori Pœnitentiario, vitæ Sanctitatis, eruditionis & eloquentiæ gloriâ celeberrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori, qui cum antiquæ probitatis, & Episcopalis vigilantie præstantiam, in humilitate, charitate, castitate, & beneficentia expressisset, hæreticas sectas, scriptis & consiliis sapientissimis feruenter oppugnasset, multos ab erroribus reuocasset, grauissimisque Legationibus pro pace Ecclesie Dei, cum apud Carolum 5. & Federicum Cæs. tum præcipuè in Sacro Concilio Tridentino Pij 4. Pontificis nomine feliciss. perfunctus Christianæ Reip. plurimum profuisset, omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans, obdormiuit in Domino, Nonis Augusti. anno salutis 1579. ætatis suæ 76. Stanislaus Patruo, & Stanislaus Rescius Patrono beneficentissimo executores testamenti posuere.

ANTONIUS PERRENOTVS GRANVELLANVS Bizuntinæ Academiae instaurator, ex Episcopo Atrebatensi Cardinalis, septē linguas ita calluit, vt singulas natiuas diceres, memoriæque tantâ fuit, vt quatuor sæpè aut quinque scribas de arduis Reip. negotiis variis linguis dictando defatigaret; quamuis autem præter orationem in Concilio Tridentino habitam, & alias quasdam, nihil quod sciam, posteritati commendauerit, hîc tamen meritissimò locum sortitur suum, cum ex eius familia Iustus Lipsius, Franciscus Richardotus, Morillonus, Ellebodus, Stephanus Pighius, Suffridus Petrus, & Bochius viri clarissimi prodierint. Obiit Madriti, anno 1586. Iacetque in Cathedrali Bisuntina.

MARCUS ANTONIUS AMVLIVS Venetus, Cardinalis, scripsit

De sublimi genere dicendi.

Orationes quasdam Italicâ linguâ & latinâ.



Epistolasque familiares. Obiit Romæ anno 1570  
Iacetque Venetiis in æde S. Iob ordinis Minorū.

BERNARDVS NAVAGERIVS Venetus Cardina-  
lis & Concilii Tridentini Legatus, scripsit

Carmina multa quorum aliqua habes, Illustrium  
Poetarum Italorum tomo 1.

Orationemque ad Paulum 4. habitam, cūm Reip.  
Venetæ nomine obedientiā exhiberet.

Obiit anno 1565. Iacetque in Cathedrali Vero-  
nensi cum hoc Epitaphio.

*Bernardi Nauagerij Cardinalis, perpetui Ecclesiæ Veronensis  
administratoris ossa.*

PTOLOMÆVS GALLIVS Nouocomensis Cardi-  
nalis Archiepiscopus Sypontinus Pio 4. in famulatum  
traditus, ingenio versatili, & ingenitâ ad omnia, quam-  
uis implicata expedienda solertiâ, eiusdem gratiam  
promeruit; scripsitque

Constitutiones Synodi Sypontinæ anno 1567. habitæ  
Aliasque constitutiones Synodi Sabinensis. Obiit  
Romæ Paulo Papa quinto sedente.

PROSPER SANCTACRUCIVS Romanus, ex Au-  
ditore Rotæ Cardinalis, scripsit

Decisiones Rotæ.

Gallicarum rerum commentarios.

Epistolas ad Federicum Nauseam & alios.

Et alia quædam. Romæ iacet in Ecclesia S. Ma-  
riæ Maioris cum hoc Epitaphio.

*Prospero Sanctacrucio S.R. E. Cardinali Episcopo Albano,  
qui ob eximias animi, ingenijque virtutes, post primaria palatina  
officia & Ecclesiasticas dignitates à Pio 4. Pontifice Maximo Car-  
dinalis creatus, Legationibus, Germanicâ, Lusitanicâ, Hispanicâ  
& Gallicâ, flagrante intestino bello Prouincia, egregia cum laude*

functus, maximisque toto vitæ cursu pro Rep. susceptis laboribus.  
Obijt ætatis annorum 76. 1589. Marcellus ex fratre Nepos  
posuit.

MARCUS ANTONIVS Boba Casalensis Cardinalis  
poeticâ & oratoriâ arte insignis; scripsit

Orationem in Concilio Tridentino habitam, cum  
inibi Sabaudia Ducis nomine Legatione fun-  
geretur.

Carmina quædam ad Carolum Sabaudia Princi-  
pem tomo 2. illustrium Poetarum Italorum in-  
dita, Et alia de Simone Pasqua Card. & Vbero  
Folietâ.

Plura præterea eius carmina vidi nondum edita,  
quæ Romæ in pretio sunt. Obiit anno 1575.  
Iacetque in æde S. Mariæ Angelorum.

FRANCISCUS ABVNDIVS Castillionæus Medio-  
lanensis, ex Episcopo Bobiensi Cardinalis. scripsit

Carmina multa Hetrusco sermone, iam pridem e-  
dita.

Pia quædam in laudem B. Virginis.

Familiæque suæ Castilloneæ monumenta priscis  
annalibus eruta collegit. Romę iacet in æde S.  
Marię de Populo cum hoc Epitaphio.

*Francisco Abundio Castillioneo Mediolanensi, Hieronimi Se-  
natoris Mediolani Præsidis filio S. R. E. Presbyt. Cardinali. Cœ-  
lestini 4. Pont. Maximi, Octavianus, Godifredi, Brandæ & Io-  
annis Cardinalium gentili, Pio 4. Pont. maximo valde charo, atque  
ab eodem, ob fidem ac pietatem, quam Episcopus Babiensis in Tri-  
dentino Concilio præstitit, in amplissimum Collegium cooptato.  
Vixit annos 45. Obiit anno 1568. 18. Kal. Decembris Io-  
seph Castillionæus. I. C. hæres Patrueli, & Ioannes Iacobus Ar-  
chiepiscopus Barensis commune M. P.*

IOANNES FRANCISCVS Cómendonus Venetus,  
ex Episcopo Zacynthenfi Cardinalis, plurimis legatio-  
nibus clarus, scripsit

Orationes multas vernaculâ, latinâque linguâ.

Carmina Acad. Occultorum, Brixia an. 1574 edita.

Epigrammata nonnulla quæ in limine operum  
Hippoliti Saluiani, leguntur.

De Romana Curia.

Et alia quædam. Patauij iacet in Ecclesia Ca-  
pucinatorum cum hoc Epitaphio.

*Ioanni Francisco tit. S. Marci S. Romanæ Ecclesiæ presby-  
tero Cardinali Commendano Antonius Caucus Patricius Vene-  
tus auunculo B. M. M. P. Vixit annos 61. menses 9. dies 8. Obiit  
7. kal. Ianuarij 1584.*

GVILLELMVS SIRLETVS Calaber Cardinalis,  
cuius instructissimam Bibliothecam nunc Columnen-  
ses possident, vnico tantùm Bibliorum volumine secùm  
allato Romam, nullis præfidiis opibusue subnixus ve-  
nit; vbi alimenta vno ingenio expediens & aulicorum  
turbæ immixtus, repente doctis omnibus innotuit, ibi-  
demque quicquid ferè adstruere fortuna poterat, ade-  
ptus est. scripsit

Annotationes in Psalterium.

Biblicum apparatus, variantesque in Bibliis Re-  
giis Antuerpiæ excusis lectiones.

Correctiones & additiones in Ius ciuile.

Epistolas multas.

De Monarchia Ecclesiastica opus in signe, Nepo-  
tum incuriâ nondum editum.

Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Lau-  
rentii in Panisperna; cum hoc Epitaphio.

Guillelmo Sirleto Cardinali Stili in Calabria nato huiusce Ecclesie titulari S. Sedis Apostolicæ Bibliothecario, Hebraicæ, Græcæ, Latineque linguæ peritissimo, humanarum, aliarumque disciplinarum scientiâ claro, eruditorum & pauperum patrono, ac parenti beneficentissimo, ob probitatem eius, pietatemque, à Pio 4. Pont. Max. sacro instante collegio Cardinali creato. Vixit annos 71. Obijt anno 1585.

GABRIEL PALEOTVS Bononiæ natus, ibidemque Iuris vtriusque professor, Cardinalis, scripsit

Tractatum singularem de Nothis & Spuriis.

Archiepiscopale Bononiense, varias ipsius Constitutiones ad rectam diocesis administrationem continens.

De sacris ac prophanis imaginibus lib. 2.

De Sacri Consistorii consultationibus.

De bono Senectutis.

Decisiones Rotæ

Actaque omnia Concilij Tridentini. Obiit

Romæ an. Christi 1597. ætatis 75. Iacetque in Cathedrali Bononiensi.

---

A PIO V. CREATI.

ANTONIVS CARAFA Neapolitanus, Cardinalis, linguæ græcæ in immensum peritus.

Catenam explicationem veterum Patrum in omnia Cantica veteris & noui testamenti.

Commentaria Theodoretii in Psalmos, aliorumque authorum in Pentateuchum. Latine reddidit

Gregorii Nazienseni Orationes aliquot.